



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita Venerabilis Yolandae Priorissae Ad Mariae Vallem in Ducatu Luciliburgensi**

**Wiltheim, Alexandre**

**Antuerpiae, 1674**

Cap. XV. Henricus Yolandam sororem Bellacostâ Viennam reducit, & Matri  
reconciliat; sed haec brevi instaurat iras. Inceßit Yolandam Philippus  
Frater. &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11873**



## CAPVT XV.

*Henricus Yolandam sororem Bellacostâ Viennam reducit, & Matri reconciliat; sed hæc brevi instaurat iras. Incessit Yolandam Philippus Frater. In conventu amicorum, pro ipsâ fertur sententia; sed Mater resistit. In alio Conventu Monasterij Eiflia à Conrado Archi-Episcopo Coloniensi defenditur. Vincit Hymana blanditias, & increpationem Matris. Henricus Frater obstat ne conijciatur in carcerem.*

**C**ontigit Henricum, Præpositum ædis maximæ Coloniensis, Yolandæ amantissimum illum fratrem, advenire Viennam. Is cognito sororis miserabili statu, plurimum indoluit, moxque Bellacostam in comitatu virorum nobilium, clientum suorum, equo contendit. Facile æstimatum est, quàm fuerit Yolandæ iucundus charissimi fratris adventus; qui eam protinus Viennam reduxit. Margarita, dissimulato tantisper animi dolore, filiæ it obviam. Nec mora, inter matrem eamque reconciliata ab Henrico Præposito pax, saucijs tamen adhuc, hinc amore, hinc mœrore, animis. Undè obducta magis, quàm sanata vulnera, brevi recruderent. Siquidem Margarita haud multò post aggressa Yolandam: Longa  
F 5 mora



mora est, inquit, dum te alloquor, filia. Cede, per Deum te obtestor, ut habes? Dic, te oro, an meliora nunc cepisti consilia? Mene iam audies, & ex voto meo D. Bernardi Ordinem tandem aliquando sectabere? Contrà Yolanda paucis: Nec velle se, nec posse alterius esse Ordinis, quam sui. Hoc dicto irata mater haud benè coalitam rupit concordiam. Iterum increpat, obiurgat, stomachatur, minatur. Grave id admodum Henrico Yolandæ fratri. Non ita fratrum alter [ Philippus, ] cui deindè cessit Viennensis Comitivæ dignitas. Is matri debacchanti se adiungens, acerbissimè Yolandam aggreditur. Quò te agit infanus amor? Si virum deperires profanum, imputarem id ætati tuæ. Nunc cupidine Prædicatoris unius incensa, ad Cœnobium ita abriperis, ut nihil sacrum neque sanctum ruentem retinere possit.

Yolanda hoc dicto, ceu telo icta, forti animo reclamationat; Quod ais tu, falsum est. Propalam tibi edico, si nescis, virum me neque concupiscere, nec concupivisse unquam. Nec deforet, crede mihi, te longè melior, cui nuberem, si is esset animus. Proindè, si sapis, stultè stolideque loqui desine. Inter hæc mater irâ effervescentes, discursat, atque per obiurgationes & fremitus maritum ubique perquisitum, querimonijs onerat, iam mœrore tristitiâque gravem, vel quod perpetuis Margaritæ intemperijs dissidia sine fine gliscerent.



Yolanda interim in sacello, seu ibi inita fuerat antè dictæ pacis conciliatio, seu eò ipsa confugerat, laxans frena dolori, nullum flendi modum faciebat; donec adfuere eius fratres, [Fridericus & Henricus.] Ii adhibito, quantum licuit, solatio, eam abduxere. Postero die, dum mensæ accumbitur, Margarita, nescio undè acceptâ iurgandi materiâ, in Yolandam invehitur, alia super alia probra ingerens. Quæ cum Yolanda tacitè patienterque exciperet, eo silentio ita exacerbata est mater, ut intendens iras, eousque indefinenter obiurgando insisteret, donec Yolanda effusa in lacrymas, coacta est mensam impasta deserere. Secutus eam Henricus frater, dolorem utcumque leniuit.

Is porrò perpendens, hinc sororis inter tot mala patientiam, indè matris perpetuam animi ægritudinem; veritus, ne infelicem ea res haberet exitum, statuit turbas hæc componere. Concilium, quantum potest, maximum convocat. Conuenere cum Henrico & Margaritâ Parentibus, & fratre [Friderico, ut opinor] consanguinei atque agnati. Ad hæc ex clientibus, viris nobilibus selectissimus quisque. Exciti & Sacerdotes, & ex Cœnobitis Prædicatores, Franciscani, plurimique alij virtute spectati homines, nec præteritis mulieribus. Ubi conventus coit, rogat Henricus Præpositus, ut etiam atque etiam videant, quem hisce turbis atque controversijs finem imponant. Multa fuit diuturnaque deliberatio. Pertentatus

F 6

haud



haud semel Yolandæ animus. Sed illa nunquam de proposito dimoveri potuit, omnibus ob tantam puellæ constantiam admiratione defixis. Itaque in commune decernitur, Yolandam haud esse cogendam, nec moram ullam afferendam, quin id genus vitæ, quod sibi præstituerit, liberè amplectatur. Sed his mater cum stomacho reclamât, Huic omnium vestrûm communi sententiæ, una ego renitor. Prout perspecta mihi Vallis MARIÆ misera conditio, filiam ibi meam inter Sanctimoniales adscribi, me vivâ, haud, sanè, patiar. Quod si Prædicatorum Ordinem ei tandem decernitis, Argentoratum, aut ad aliud eius generis Cœnobium procul hinc ablegate. Et si ita libet, habeant sibi puellam Prædicatores, & ad exterarum regiones quàm longissimè deferant. Ut ne ad Vallem unquam perveniat, omnia moliri, omnia pati certum est. Ita solutus sine profectu ille conventus.

Alium deindè Conradus Coloniae Archi-Episcopus indixit in oppidum Monasterij Eisslæ, iussis adesse consanguineis suis, & ex clientum numero præcipuis. Advenère Vienna, Henricus comes unâ cum Margarita coniuge, & Yolanda. Hæ ut tenuere oppidum, mox ivere salutatum Archi-Episcopum. Margarita quidem excepta est peramanter & honorificè. At dum Yolanda, pro more illorum temporum, Conrado vellet offerre complexum, ille valido eam ictu perculit, spectante aulicorum omnium, qui frequentes ad-

erant,



erant, comitatu. Addidit plurima convicia; [quod eum in speciem & tentandi causa magis, quam verè iratum fecisse, arbitror.] Yolanda nihilominus incredibili pudore affecta, ferre tantam indignitatem debuit. Conventu deindè habito & finito, Conradus Henricum Comitem adit, eumque & Præpositum eius filium seorsùm allocutus, iubet hunc è vestigiò sororem suam accersere. Quæ ubi adfuit: Cur rem, inquit, moliris ætate tua maiorem? Sed & discors parentibus, eorum in te concitasti iram. Vide quo te tua abriperit pervicacia. Sed age. Flectere, dum licet, & redi cum parentibus in gratiam. Ego conciliator atque pacificator lubens adero.

Hæc prolocutum Yolanda rogat audiri se solum sinè arbitris. Nec mora Conradus manu prehensam, urbanè ad proximum abducit parietem. Ibi tum Yolanda, Offensum te esse miseræ mihi, & fama comperi & re ipsa sentio. At queso te, mihi per plurimos annos inter innumera mala ægrum atque afflictum trahenti animum, aliquando parce. Nî profanâ hâc vitâ liberor, perijt deinceps meum omne gaudium. At, ut mihi videre, inquit Conradus, perijt tibi potius mens atque ratio, quæ parentibus atque amicis ita restitas. Me audi, eorumque gratiæ te redde. Tum Yolanda: Satius profectò est, inquit, me, quod Deo appromisi, reddere. Sacro Ordini me devotam, non amor parentum, non mille mortes à proposito unquam amoverint. Conradus



dus ad hæc cogitatione non nihil defixus, mox-  
 que iterum Yolandam variè pertentans, tam fir-  
 mam, stabilem, immobilemque reperit, ut quid  
 ultrà diceret, non haberet. Itaque è vestigio re-  
 versus ad amicorum cœtum: Ludimus, inquit  
 operam. Certantem tantis animis pro Deo, est  
 impugnare nefas. Me quidem auctore, non mo-  
 do nolentem vi cogere superfedebitis, sed ut ad  
 optata perveniat, planè auxilio eritis. Ingrata ea  
 accidit Margaritæ oratio; & Consilium, inquit,  
 dedisti, paucis sane & breviter, sed non breve.  
 Res ea moram postulat.

Convenerant inter alios Salsiniensis Antistes  
 Hymana, & alia Conradi soror, eiusdem quo-  
 que instituti Antistes, quibus iam vetus & sæpe  
 irritum, & tamen indefessum propositum, Yo-  
 landam ad suum Ordinem pertrahere. Eæ blan-  
 dimenta & preces tum quoque sine fructu inges-  
 sere, cedendumque eis fuit invictæ Yolandæ vo-  
 luntati. Ubi deinde Margarita, à Conrado digre-  
 diens, ad hospitium rediit, quo diverterat: con-  
 tinuò Yolandam absque arbitris aggressa, male-  
 dictis & convitijs obruere cœpit, nec obiurgando  
 atque increpando finem ullum facere, donec Præ-  
 positus superveniens sororem matris iræ subduxit.  
 Nec fefellit Margaritam, solatio esse Yolandæ,  
 extrà suum conspectum agere cum fratre. Quare  
 neque hoc passa ei esse solatij, filiam aliò avocat.  
 Sensit quoque Henricus, esse è re sororis suæ  
 præsentiam suam. Eò itaque, quò mater exci-  
 verat,



verat, Yolandam deducit, & impofterum, ubi  
opportunum, frequens ei adest. Sed parum ea  
industria matris iram compescuit. Instaurata  
convicia, nec cessatum noctes neque dies, nec  
immunibus famulis atque ancillis. Quippe si quæ  
dabantur Yolandæ induciæ, tum in eos effusâ  
rabie, illi luebant. Id quod Yolandæ multò erat  
acerbiùs, quam si in ipsam tempestas illa ingrueret.

Cæterùm dum certamen illud in longum tra-  
hitur, consilium fuit nonnullorum ex Henrici  
Comitis ministris, quorum erat haud dubia assen-  
tatio, Yolandam solam saxo includendam; [quod  
ab Hermanno traditum, non diffiteor parum me  
assequi. An ad saxum, velut illam in fabulis An-  
dromedam, ferro devinctam volebant?] Alij sua-  
debant, in carcerem dandam tam diu, donec pa-  
cem atque concordiam, quam dissidia cum pa-  
rentibus malle, ultrò condisceret. Et vehemen-  
ter id Margarita probabat sed Henricus: Præpo-  
situs obsistens damnansque consilium, rogat, quo  
scelere sua soror vincula commeruerit, quam ne  
vi quidem invitam cogere oporteat? Haud ab-  
nuerim, inquit, nostrum omnium esse votum ut  
parentibus obsecundet; sed id impetratum, haud  
extortum volumus. Ita finis ei quoque conven-  
tui impositus.